

THESES EX UNIVERSA,  
 SUMMA  
 THEOLOGICA ANGELICI ET  
 QUINTI ECCLESIAE DOCTORIS  
**DIVI THOMÆ**  
**AQUINATIS**  
 ORDINIS PRÆDICATORUM.

quas  
**AUTHORITATE ET CONSENSU**  
 Reverendissimorum, Admodum Reverendorum, Magnificorum,  
 Nobilium, & Clarissimorum Dominorum, Magnifici Domini  
 Universitatis

**RECTORIS,**  
**SPECTABILIS DOMINI DECANI,**  
 Cæterorumq; Dominorum Doctorum Inclitæ Facultatis Theolo-  
 gicæ, in Antiquissima & Celeberrima Universitate  
 Viennensi

*Pro Suprema Theologici Doctoratus Laurea consequenda.*

P R A E S I D E

*AD MODUM REVERENDO ET EXIMO PATRE*  
**Fr. PETRO à CAMPO, ORDINIS PRÆDICATO-**  
 rum, SS. Theologiæ Magistro, ejusdemq; in Antiquissima ac Ce-  
 leberrima Universitate Viennensi Doctore & Professore publico,  
 Consistoriali Seniore.

*Publica Disputationi exponit*

**R. P. MARTINUS WIGANDT, ORD. PRÆDIC.** WEST-  
 phalus Paderbornâ-Vördensis, SS. Theologiæ Baccalaureus  
 formatus.

*Die 10 Mensis Maij 1688.*

VIENNAE AUSTRIÆ, Typis Leopoldi Voigt, Univers. Typogr.



ILLUST'RISSIMO DOMINO,  
DOMINO  
**F**ERDINANDO  
J U L I O  
SACRIROMANI IMPERII  
COMITI A SALMIS,  
ET NEOBURGO AD OENUM, HÆREDITARIO  
Domino in Tobitschau, Kogetain, & Kralitz, &c.  
Sac. Cæf. Regiaquè Maj. Consiliario, Camerario, &  
Judiciorum Provincialium in Marchionatu Moraviae  
ASSESSORI, &c. &c.

*DOMINO, DOMINO MECOENATI  
GRATIOSISSIMO.*

**S**upremam Sacrosancta Theologia lauream  
piscaturus prehendi Cete grandia, Tuos nimirum  
binos gentilios Salmones, quos nec Salomon com-  
mendabit pro meritis. Illustrissime Domine, Domine  
comes, Mecenas Gratioissime. Cete grandia sunt,  
ob idquæ ha meæ Theses, quæ se Tibi devotas profitentur, quas Illu-  
strissimo Nomiñi & Sanguini Tuo demississime consecro & dedico,  
)( gran-

grandem ab iis sibi spondent decorum, grande patrocinium. Grandia Cete sunt, sive prosapia Tua Nobilitatem, ex Regio Priscorum Teutonum sanguine derivatam, spectem: sive Nobilitatis vetustatem, qua Nobilitati dignam canit Panegyrin teste Tiraquell. in Trac. de Nobil. cap. 19. Quanto familia quævis vetustior, tanto semper dignior. Vetustissimi mehercle sunt Gentilitii Salmones Tui. Etenim Salmon, Colingi Tungrorum Regis Noni, Frater, primævorum Salmae Comitum Genearcha inclitus, & Illustrissimi Parentis simillima proles, Comes Martialis, plura ante Virginis Deipara partum numerarunt lustra, pariente Salvatorem Virgine Domum Salmae rexit Mansuetus hujus Nominis Primus, ex sanguine Tertius. Vetusissimi sunt, etenim Symetrius Comes Salmaeus, non ex Salmae duntaxat, sed & ex universa Gente Teutonica, primus à sancto Materno, Divi Petri Discipulo, ac primo Tungrorum Episcopo, abjurato Gentilismo, Sacris undis fuit tinctus, homagiumque praestitit Catholicæ Romanae Ecclesie. Cujus veritas tantas in Salmae sanguine egit radices, ut nullum Salmae Gentis individuum hactenus ab ea desciverit: quin potius Salmai Comites, suo funere gaudentes prælegerint, potius mori quam foedari. Hinc è Religione victoria. Hinc uberrima super Salmae Gentem benedictio. Protulit namque hac Salmae stirps suos Cælo sanctos. S. Symetrium Comitem de Salm, temporibus Marci Antonii Romæ Illustri Martyrio coronatum. Sanctum Gerhardum Abbatem, Matre natum Comitis Salmae. Peperit hac facundissima Salmae stirps suos mundo Athlantes, Heroes invictissimos, peperit suos quondam Regno Austrasia Gubernatores, peperit suos Electoratu Coloniensis, & Ducatu Westphaliae Hereditarios Mareschallos. Defluxerunt ex hac feraci Heroum Parente quatuor Romanorum Imperatores, nonnulli Ungaria Bohemiaque Reges, Moravia Marchiones. Defluxit ex ea Pipinus brevis, Galliae Rex, Caroli Magni Romanorum Imperatoris Magnus Parens. Juncta fuit hac Salmae Gens per conjugalia fœdera Antiquissima & Illustrissima Domui Habsburgicæ, Augustissima Domus Austriacæ (qua vivat, & triumphet, donec auferatur Luna) facundissima Parenti, Regibus Bojaria, majoris & minoris Britannia, sicut & Prin-

Principibus Lotharingiae ( ex Illustrissima equidem Christina Sal-  
mensi descendantibus) Principibus Mosellania, & Burgundia. Pepe-  
rit hæc Salmea stirps ex Principatu suo Limburgensi primum Regno  
Portugallie Regem Alphonsum, Comitem de Salm, cui ab hoste  
salus. Etenim ob glorioſa contra infideles geſta, casis in uno pra-  
lio quinque infidelium Regibus cum aliquot centum eorum millibus,  
in primum Portugallie ( alias Regni Titulo non insignita ) Regem  
fuit salutatus, & Pontificio Diplomate stabilitus. Ita decuit coro-  
nari eum, qui Deo Duce, non alio sydere, nec fulmina metuit, to-  
nitrua calcavit : nunquam reversus niſi Victor ad inocciduam glo-  
riam Salmai sanguinis, & Neo- Regni sui , cui hæc Salmea stirps  
mirâ fecunditate suâ ultra quatuor ſecula continuam præbuit suc-  
ceſſionem, uſquè ad Sebastianum Regem Comitem Salmeum, qui  
1578. in Africa nullo ſuperſtitè Herede fatis gloriosus confeſſit. Quis  
dignè depredicabit verè martios Martiales ex hoc Illustrissimo & Re-  
gio ſanguine progenitos. Quis Carolos, quis Henricos, Raimbal-  
dos, Fridericos, Walramos, Ernestos, Werneros &c. Heroes in-  
uictiſſimos, qui ſtemata armis exornarunt ? Quorum alii sub Caro-  
lo IV. Imperatore. alii sub Henrico I alii sub Imperatore Arnulpho,  
sub Lothario Gallie Rege, sub Carolo V. Friderico III. Maximilia-  
no I. Ferdinando I. glorioſa preſtitere facinora, ſtatuere trophæa,  
profudere felici comercio ſanguinem in boni publici & fidei defenſio-  
nem : ita ut Salmeorum ſanguine rubeat Africa in expugnatione Pto-  
lomaidis, rubeat terra sancta, rubeat Germania, Italia, Hispania, Gal-  
lia, Anglia, Ungaria, Europa universa. Fulget eadem Salmea stirps  
hodiedum Celfiſſimo ſuo Principe de Salm, Carolo Theodoro Ottone  
Sacra Cæſarea Majestatis Conſiliario Intimo, & Campi Mareschallo,  
nec non Serenifſſimi ac Potentifſſimi Hungarie Regis Josephi Primi  
( quem Deus beatifißime ſecundet, ut ſit maneatquæ Luna ſub pedibus  
ejus ) Sumo Aula Praefecto, Avitas Majorum ſuorum ceras raro Illu-  
ſtriffime Virtutis, & sapientiæ ſpiritu illuſtrante. Hi ſunt Illustriffime  
Domine Domine Comes Gentiliiii Salmones Tui, grandia Cete, qua  
humili ſtylo delineavi. Stirps Tua Illustriffima, uti fermè originis in-  
ſcia, ita & occasus eſt neſcia, junxiſti eam Tu per conjugale fædus Se-

renissimis Holſatia Ducibus, elaborasti eam claris facinoribus, qui non  
niſi Iuſtrissimos nutris in pectore ſpiritus, quorum intiuſu à S. C. M.  
Leopoldo Primo in Aula ſuæ Camerarium & Consiliarium es delectus,  
comitante Te Iuſtrissimo omnigenarum Virtutum Collegio. Reſidet in  
Te mansuetudo & affabilitas, quâ omnium animos eliquas in affectum,  
captivas in obſequium. Reſidet in Te ſapientia & prudentia, quâis oc-  
curris ad Te recurrentibus. Stat in Te pietas invicta, & pro Domo  
Dei Zelus, quo Domum Salmae a Eternitati adificas, stat imobilis  
Tuus erga ſacram noſtram Prædicatoriam familiam affectus, quo hoc  
Theſsum mearum tributum ad honoris & favoris Tui aram gratioſiſimâ  
vi traxisti, in quam ne peccem, umbras non lucem addendo, plura  
ſaleo, que exaggerantis facundie hæderâ non indigent, ſed ſe ipſis omnium  
obtutus incurruunt Salmae rorum geſtorum eternitati conſecrata Mausolea,  
tum in Eccleſia Tobazowienſi, tum in Celeberrime Magni & S. Patris  
Augustini, ad S. Dorotheam Vienna Canonie, noſtræque S. Prædicatorie  
Religionis Cremlensi templo. Lucē & gratiam diſfundet Iuſtrissima Vir-  
tus Tua, precabor ego Altissimum, ut Iuſtrissima Domus Salmae, Eterni-  
tatis amula, cum gentilitiis glorioſis ſuis Salmonibus plura, durando  
ſæcula vincat, vivat, floreat. Ita voveo.

## ILLUSTRISSIMÆ DOMINATIONIS TUAE

Demiffiffimus Capellanus

Fr. Martinus Wigandt, Ordinis  
Prædicatorum.

### *Thesis I.*

**T**heologia Scholastica benè definitur, quòd sit *habitus intellectualis, studio acquisitus, quo ex principiis revelatis & pro hoc statu fide creditis de DEO & rebus divinis per evidentem consequentiam conclusiones deducimus & demonstramus.* Impudentissimè Melanchton eam vocat prophanam, Lutetia natam, Scholasticen; Lutherus, veritatis inscitiam inanemquè fallacicam. Nos eam profitemur Architectonicam & supremam scientiarum scientiam, practicam simul & speculativam (Theologia enim Theophilium ingenerat) magis tamen Speculativam quam practicam. Pro objecto formalí habet Deum sub ratione Deitatis, qui est actus purissimus, summè perfectus, aeternus, immensus, portans omnia verbo virtutis suæ, in spatiis tamen imaginariis actu realiter & positivè non existens.

### *II.*

**D**EUS (cujus metaphysicum, juxta nostrum imperfectum concipiendi modum, constitutivum est intelligere radicale) tam ut Author naturæ quam ut Author gratiæ continetur sub objecto adæquato creaturæ intellectualis, ab eaque tam intuitivè, quam abstractivè cognoscibilis est. Abstractivè, ut Author naturæ, ut primum immobile movens, prima omnium efficiens causa, cognoscitur à nobis per rationes à posteriori petitas. Intuitivè seu ut est in se à Beatis cognoscitur in patria per propriam ipsiusmet DEI (qui non solum in esse entis sed etiam in esse intelligibili purissimus actus est) essentiam veluti per speciem.

### *III.*

**M**Anifesta est contradictione, essentiam divinam clare, intuitivè, & quidditativè ab intellectu creato videri sine omni lumine gloriæ, quod vel permanenter seu per modum habitus, vel saltem per modum qualitatis transeuntis intrinsecè intellectui in-

hæreat , cum confortet , & in actu primo ad videndum potentem constituat . Hinc Deus nec per se ipsum immediate , nec per solam suam assistentiam extrinsecam , etiam ut concursui simultaneo supernaturali , aut imperio ipsius efficaci conjunctam , supplere potest vices luminis gloriæ.

#### IV.

**Q**uidquid est in Deo Deus est , nec potest aliquid actus purissimi clarè videri , alio latente , quod formaliter & necessario est in illo . Proin implicitorum censemus , quòd essentia divina , ut in se est , clarè & intuitivè videatur sine attributis & personis , aut unum attributum sine reliquis , aut una persona sine alia . *Facultas videndi Deum non competit intellectui creato secundum suam naturam , sed per lumen gloriæ . Unde intellectus plus participans de lumine gloriæ , perfectius Deum videbit ,* ait Ang . Doct . I . p . q . 12 . a . 6 . ita quidem , ut tota visionum beatarum inæqualitas proximè reducatur in solam inæqualitatem Luminis gloriæ .

#### V.

**D**eus Scientiarum Dominus est 1. Reg. 2. in eoquè datur Scientia verè & propriè talis sine imperfectionibus scientiæ creatæ annexis . Cum scire sit rem per causam cognoscere , scientia Dei non dicitur propriè talis per ordinem ad essentiam sub ratione essentiæ , cùm hæc omnem causam tam formalem quam virtualem excludat , sed tantùm per ordinem ad attributa , & quæcunquè alia creata , sive necessaria sint sive contingentia . Quæ se ipsam cognoscens divina sapientia novit omnia , non quòd per speciem singula consideret , sed quòd uno cause complexu omnia sciatur . ait S. Dyon . cap . 7 . de div . nom .

#### VI.

**S**cientia licet sit unicum indivisibile attributum in Deo , terminativè tamen dividitur in scientiam simplicis intelligentiæ & visionis : & omne aliud membrum insubsistens est . Proinde scientiam , quam vocant medium , non agnoscimus . Futura absoluta Deus cognoscit , non tantùm ratione sui decreti absoluti ( quo ante consensu liberi arbitrii prævisionem omnes liberos volun-

Iuntatis creatæ actus ab æterno prædefinivit, vel prædeterminavit ) sed etiam ratione suæ realis & physicæ præsentiaæ, quam ab æterno habent in æternitate tanquam in mensura superiore, suo infinito, immobili, & indivisibili. *Nunc* omnes temporum differentias ab æterno realiter ambiente & continente.

## VII.

**C**um Deus alia à se non velit nisi propter finem, qui est sua bonitas, non sequitur, quod aliquid aliud moveat voluntatem ejus nisi bonitas sua ( ait S. D. i. p. q. 19. a. 2. ad 2. ) quæ est primarium divinæ voluntatis objectum, necessariò à Deo volitum. Actus liber Dei ( qui est circa creaturem ) in recto est ipse actus Dei necessarius, non quidem ut necessarius est, & prout præcisè terminatur ad bonitatem divinam, sed ut terminatur ad creaturem, easquè in obliquo connotat. Actualissima Dei voluntas non potuit manere suspensa seu in aliquo reali signo negativè se habere respectu voluntatis vel nolitionis creaturem.

## VIII.

**V**oluntas Dei bene dividitur in antecedentem & consequentem. Antecedens non dicitur ex eo, quod consensum nostrum, vel meritorum aut demeritorum præscientiam antecedat, sed quia attingit objectum, ut circumstantiis ( quibus executioni est mandandum ) non vestitum. Pariter voluntas consequens non ex eo dicæalogiam suam sortitur, quod humanæ voluntatis consensum, merita vel demerita consequatur seu præsupponat: sed quia objectum omni suâ circumstantiâ vestitum inspicit. Voluntas divina ( ex cuius efficacia non solum sequitur, quod fiant ea, que Deus vult fieri, sed quod eo modo fiant, quo Deus ea fieri vult, ut ait S. D. i. p. q. 29. a. 8. in corp. ) voluntatem creatam absquè ullo libertatis præjudicio physicè præmovet ad operandum,

## IX.

**Q**uos Deus præscivit & prædestinavit conformes fieri imaginis filii sui ordine intentionis sine ullis prævisis propriis meritis ante mundi constitutionem in ipso elegit, ut essent Sancti & immaculati in conspectu ejus Ephes. 1. & ad gloriam ut ad indebitum beneficium, ita tamen, ut ordine executionis coronam non assequantur

tur nisi legitimè certaverint. Pariter reprobatio negativè sumpta seu per modum negationis indebiti beneficii, culpe actualiter influentis prævisionem non supponit, licet eam supponat in executione, & ut importat voluntatem reprobos puniendi poenâ æternâ.

### X.

**S**unt justi & sapientes, & opera eorum in manu Dei, & tamen nec sit homo utrum amore vel odio dignus sit, sed omnia in futurum servantur incerta Eccl. 9. adeò ut nullus, seclusâ speciali revelatione Dei, possit esse certus, sive certitudine fidei divinæ, sive physicæ, sive morali absolutâ, se vel alium esse prædestinatum. Liber vitæ prout dicit esse simpliciter in eo scriptum, idem est ac prædestination, qui liber propriè dicitur de vita gloriae prædestinatōrum. Unde simpliciter in eo scripti, non possunt deleri, bene tamen scripti tantum secundūm quid.

### XI.

**N**unquid qui alios parere facio, sterilis ero? Isa. 66. minimè gentium. Generat ergo Pater cœlestis ad intra Verbum seu Filium per intellectum, & Spiritus S. à Patre Filioquè procedit per voluntatem. Principium quo radicale processionis in divinis est essentia divina, principium proximum sunt intellectus & voluntas, ut modificantur relationibus. Quatuor relationes reales divinæ ab essentia, sicut & paternitas & Filiatio à spiratione activa distinguuntur solā ratione post, & virtualiter, ante mentis operam. *Eadem est essentia & dignitas Patris & Filii, sed in Patre est secundūm relationem dantis, in filio secundūm relationem accipientis* (ait S. Aug. cont. Maximinum) sine ulla speciali perfectione, quam relatio essentiæ superaddat.

### XII.

**S**ubsistentia pro perfectate incomunicabilitatis accepta, realiter in divinis multiplicatur ad multiplicationem personarum, secus est de existentia, sicut & de subsistentia sumpta pro perfectate independentiæ. Rationem personæ propriè reperiri in divinis dogma fidei est. In Deo ponendæ sunt quinquè notiones, quæ sunt rationes propriæ cognoscendi divinas personas. In divinis omnia sunt idem, nisi ubi obviat relationis oppositio. Hinc si per impossibile

**S**ibile Sp̄iritus Sanctus non procederet à Filio non distingueretur re-  
aliter ab illo. SS. Trinitatis mysterium ex effectibus naturalibus  
demonstrari nequit.

### XIII.

**A**ngelos & Archangelos penè omnes Sacri eloquii pagina testantur  
S. Greg. hom. 30. in Evang. i. mō & ex ipsa universi perfectio-  
ne Angelorum, id est, substantiarum purè intellectualium comple-  
tarum, omnis compositionis ex materia & forma expertum, ex-  
istentiam deducimus. Angelorum multitudo licet maxima sit,  
*millia millium & decies centena millia* Den. 7. specie tamen singuli ita  
sunt distincti, ut implicant duos vel plures ejusdem speciei. An-  
geli sunt verè & realiter præsentes loco per suam operationem ve-  
lut per rationem formalem. Alia à se cognoscunt per species à Deo  
in principio suæ conditionis infusas, tanto Universaliores, quanto  
ipsi in natura sunt perfectiores.

### XIV.

**A**ngeli sunt creati in beatitudine naturali. Gratiam accepe-  
runt conformiter ad suam perfectionem, seu ut S. D. loqui-  
tur I. p. q. 62 a. 6. in Corp. *Angeli qui habuerunt meliora naturalia,*  
*habuerunt plus de gratia & gloria* per propriam tamen dispositio-  
nem, ex Supernaturali auxilio Dei factam. Unde subdit ibidem,  
*fortius & efficacius ad Deum sunt conversi.* Superiores purgant, il-  
luminant, & perficiunt inferiores. Locutio eorum fit per hoc, quod  
unus dirigat & ordinat suum conceptum ad alterum, illi cum ma-  
nifestando. Superbia *delictum maximum, que ex Angelo fecit Diabo-*  
*lum* ait S. Aug. in Psal. 18. primum Angeli mali peccatum fuit.

### XV.

**S**oli rationali seu intellectuali creaturæ, ut potè ex deliberatione  
procedenti, & actionum suarum dominæ. propriè & in rigore  
convenit agere propter finem. Dum rationis particeps rationis re-  
stæ dictamen non sequitur, comparatur jumentis insipientibus, &  
similis facta est illis. Finis dividitur in ultimum, & in intermedium.  
Utrique propriè convenit natura seu ratio finis. *Nemo potest duobus Dominis servire* Matth. 7. adeoque nec simul efficaciter appelle-

tere plures ultimos fines simpliciter totales & adæquatos. Non tam  
men repugnat pro eodem tempore in duos ultimos fines tendere,  
in unum efficaciter, in alterum inefficaciter.

### XVI.

**B**eatitudo est status honorum omnium aggregatione perfectus. Boet.  
l. 3. consola : Gemina est, objectiva una, formalis altera. *Creatura rationali non sufficit ad beatam requiem* ( puta ad beatitudinem  
objectivam ) quidquid Deo minus est S. Aug. lib. 13. confess. cap. 8.  
Beatitudo formalis respectu creaturæ intellectualis, non quoad  
statum & integritatem, sed essentialiter & metaphysicè spectata,  
non in actu voluntatis, sed in solo actu intellectus, puta in clarâ  
visione Dei, ut est in se, consistit. Beatorum impeccabilitas, non  
in solum extrinsecum Dei favorem, sed in intrinsecam sui causam,  
beato nonexistentem, reducitur.

### XVII.

**N**emo invitus potest velle, quia non potest velle, nolens velle juxta  
Ansel. de lib. arbit. cap. 3. adeoque in actus elicitos voluntatis nulla cadit coactio, violentia nulla: secùs est de actibus à vo-  
luntate quidem imperatis, elicitis tamen à potentijs ei subditis. Si  
Deus voluntatem ad operandum propensam per sui concursus vel  
objecti subtractionem impediret, ne in actum prorumperet, volunta-  
tas violentiam non pateretur: sed connaturaliter quiesceret, & ab  
operatione cessaret, ita exigente causarum inferiorum ad causam  
primam subordinatione.

### XVIII.

**V**oluntarium est à principio intrinseco cum cognitione finis.  
Aliud est liberum, aliud necessarium. Actum voluntarium  
necessarium ex perfectiori cognitione procedentem v. g. amorem  
beatificum perfectiori modo participare rationem voluntarii, quam  
participet actus liber, benè sequitur ex communi illo axiomate:  
*sicut se habet simpliciter ad simpliciter ita se habet magis ad magis.*  
Libertas non est titulus sine re, vel res de solo titulo, ut impie sen-  
tiunt Lutherus & Calvinus, sed reverè *subter te erit appetitus tuus*  
& *tu dominaberis illius* Gen. 4. pro libertate tua, cuius radix est in-  
diffe-

differentia objectiva iudicii, formaliter vero, & essentialiter est vis electiva servato ordine ad finem.

## XIX.

**I**bi incipit genus moris ubi incipit dominium voluntatis ait S.D.in 2.d. 24.q.3.a.2. id est, libertas; in qua licet moralitas formaliter & essentialiter non consistat, eam tamen tanquam fundamentum necessariò prærequisitum. Similiter non consistit formaliter in denominatione extrinseca, nec in relatione rationis, nec in relatione reali prædicamentali, sed in ordine reali intrinseco transcendentali, seu intentionis actus ad objectum ut subditum regulis morum. Actus humanos in individuo, seu in exercitio indifferentes non admittimus. *Spiritus corrector & anima pædagogus*, teste Origene, Conscientia bene definitur, quod sit actus intellectus practici ex principiis synderesis deducens conclusionem syllogismi prudentialis, dictantem quid hic & nunc sit agendum vel non agendum.

## XX.

**P**Ecclatum à S. Aug. lib. 22. cont. faust. cap. 27. bene definitur, quod sit dictum factum vel concupitum contra legem eternam. Quam definitionē etiam peccato omissionis adaptari posse patet ex S. Th. 1.2.q. 71. a. 6. ad 1. dicente, affirmatio & negatio reducuntur ad idem genus, & ideo pro eodem est accipiendum, dictum non dictum, factum non factum. Omne peccatum est prohibitum aliquā lege, ubi enim non est lex, non est prævaricatio. *Omnis peccator stultus fuit in culpa* S. Greg. l. 15. mor. c. 23. & bestiis bestialior, cum nullum in voluntate peccatum contingat, nisi aliquis error practicus saltem virtualis, sive inconsideratio præcesserit in intellectu.

## XXI.

**P**Ecclatum originale ad posteros Adami descendens non est quidem ipsis voluntarium physicè, & per ordinem ad propriam cuiuslibet voluntatem, bene tamen moraliter, & per ordinem ad voluntatem Adami continentis per modum capitis aliorum hominum voluntates. Traducitur per hoc, quod anima connaturaliter unitur corpori ex corrupto semine descendantis, fitquè pars naturæ

turæ corruptæ. Porrò dicta seminis corruptio dici potest consistere in privatione illius vigoris, quem habuisset ad propagandam justitiam originalem (cujus privationem pro formali importat labes originalis) si Adam non peccasset.

### XXII.

**N**on regnum ppter Regem (ait Arist. 3. polit) sed Rex propter Regnum, pro cuius bono condit legem, quæ in communi definitur, quod sit ordinatio rationis ad bonum commune ab eo, qui curam communitatis habet, promulgata. Dividitur in æternam, naturalem, divinam & humanam. Lex æterna à S. D. 1. 2. q. 93. a. 1. definitur, quod sit ratio divinæ sapientie secundum quod est directiva omnium actuum & motionum in bonum publicum totius universi, quod est gloria Dei. Duo illa juris axiomata leges prius conduntur, quam promulgantur. Leges instituuntur, cum promulgantur, et si speciem tenus oppositionem preferant: revera tamen sibi non contradicunt, sed optimè conciliari possunt.

### XXIII.

**G**ratia habitualis benè definitur, quod sit qualitas supernaturalis, animæ, cui infunditur, permanenter inhærens, eique tribuens quoddam esse divinum. Non solum à fide & spe, sed & à charitate realiter distinguitur. subjectatur non in potentissimis animæ, sed immmediatè in essentia ejus, in perfectione, quæ est expressio, divinæ bonitatis, vel divinæ naturæ participatio excedit substantiam animæ, vel Angeli, & quamcunque aliam creatam, vel creatibilem: et si excedatur ab illa, quoad modum essendi, qui in una est perfectas, in altera, inaleitas.

### XXIV.

**S**icut impossibile est, quod aliquid igniat, nisi solus ignis, sic necesse est, quod solus Deus deificet communicando consortium divinæ naturæ per quandam similitudinis participationem 1. 2. q. 112. a. 2. in Corp. solus inquam Deus tanquam causa principalis physica gratiæ ita ut implicit creaturam esse causam physicam principalem illius. Gratia non creatur, sed educitur. Qui fecit te sine te, non justificabit te sine te S. Aug. serm. 15. c. 11. de verb. Do, sed in homine adulto & usus ratio-

rationis prædicto , juxta ordinariam Dei legem ad justificationem  
requiruntur dispositiones quædam scilicet liberi arbitrii motus , me-  
dio gratiæ actualis auxilio eliciti .

XXV.

**M**erces magna nimis reposita est operibus justorum meritorii .  
Mis , quæ ut de condigno meritoria sint , requiritur , ut sint  
bona , libera , facta ab homine Viator , in gratia & charitate con-  
stituto &c. Etsi non sint secundum se condigne passiones hujus  
temporis ad futuram gloriam Rom. 8. potest nihilominus homo  
de condigno mereri vitam æternam per opera bona ut procedentia  
*ex gratia Spiritus Sancti*. Verum primam gratiam habitualem , nec  
de condigno , nec propriè de congruo sibi mereri potest , ne pri-  
mum principium meriti cadat sub merito .

XXVI.

**V**irtutes Theologicæ tres sunt , fides , Spes , Charitas , major  
autem horum est Charitas . *Testimonium veritatis primo se-  
habet in fide , ut principium in scientiis demonstrativis ait S. D. q. 14.  
de verit. a. 8. ad 16.* ita ut fides nostra soli divinæ innitatur autho-  
ritati . Authoritas Ecclesiæ regula quidem & mensura infallibilis est  
ad eamquæ veluti ad amissim articuli fidei quo ad propositionem  
& explicationem sunt reducendi . Unde ego Evangelio non crederem nisi  
*me catholica Ecclesiæ commoveret Authoritas* ait S. Aug. in l. cont.  
ep. Fund. c. 4. Attamen ultimata & decretoria fidei resolutio , ut  
basi innititur soli divinæ authoritati , in eaquæ quiescit .

XXVII.

**A**rticulis fidei nullum esse entia accessit crementum , sed ma-  
jor duntaxat explicatio , & veluti elucidatio , ita ut quidquid  
successu temporis fuit creditum à posteris , tanquam in radice & se-  
mine fuerit contentum in fide Majorum Patrum nostrorum . Exte-  
rior fidei professio , non semper , nec in quovis loco , sed in aliquo  
loco & tempore est de necessitate salutis : tunc scilicet , quando  
ejus omissione derogaret honori Dei vel utilitati proximi . Hæresis de-  
finitur , quod sit error pertinax catholicæ fidei manifestè contra-  
rius , in eo qui fidem Christi est professus .

XXVIII.

**S**pes Virtus Theologica , media charitatem inter & fidem , sub-  
jecta .

jectatur in voluntate, in beatis vel damnatis non reperitur, sed in solis viatoribus Catholicis, etiam peccato quodam mortali infestis. Non evertitur, nisi vel per suum immediatè oppositum, quod est desperatio: vel ad eradicationem sui fundamenti, quod est fides, sperandarum substantia rerum. *Spes de qua loquimur attingit Deum* (seu beatitudinem objectivam, ut objectum formale quod) innitens ejus auxilio ad consequendum bonum speratum S. D. 2. 2. q. 17. a. 2. seu Deus ipse sub ratione auxiliatoris misericordis est ratio formalis *sub qua* seu objectum quo spei.

### XXIX.

**F**inis præcepti, Charitas, in qua Christianismus totus situs est, in voluntate residet, bene definitur, quod sit virtus Theologica, quâ voluntas Deum tanquam summum bonum diligit propter se, & proximum propter Deum. Objectum ergo formale Charitatis est bonitas divina, non prout nobis bona & commoda, sed prout bona Deo ipsique conveniens. Charitas per peccatum mortale tollitur, cum eoquè nec per absolutam Dei potentiam compatibilis est. Potest tamen quoad habitum consistere cum peccato veniali, hoc enim Charitatem non tollit, sed charitatis fervorem minuit.

### XXX.

**C**haritas habitualis semper magis & magis abundare, & quam diu in hoc viæ statu peregrinamur augeri potest. Quilibet charitatis actus, quantumvis remissus, meretur novam & distinctam gloriæ essentialis portionem, sicut & ejusdem charitatis & gratiæ augmentum, non in esse qualitatis & habitus, sed moraliter seu in esse gratiæ & charitatis. *Sicut vita æterna non statim redditur sed suo tempore, ita nec gratia statim augetur physicè sed suo tempore, cum scilicet homo sufficienter fuerit dispositus ad gratiæ augmentum.* I. 2. q. I 14. a. 8.

### XXXI.

**J**ustitia (quæ non in intellectu, nec in appetitu sensitivo, sed in sola voluntate velut in subjecto residet) bene definitur ab Ulpiano & Justiniano, quod sit perpetua & constans voluntas *jus suum unicuique tribuens.* Trinam habet speciem subjectivam, Justitiam lega-

legalem, distributivam, & commutativam. Legalis subdividitur in Epicheiam ( quæ latinè dicitur æquitas ) & justitiam legalem strictè dictam. In distributiva accipitur medium secundum proportionem geometricam , hoc est, secundum æqualitatem proportionis personæ ad rem , quæ per distributionem conferatur. In commutativa secundum proportionem arithmeticam seu æqualitatem rei ad rem.

### XXXII.

**P**raeclarissima virtutum videtur esse *Justitia*, & neq; est *Hesperus*, neq; Lucifer ita admirabilis dicente Philosopho 5. Ethic. reliquas virtutes morales , in appetitu sensitivo residentes , dignitate & præstantiâ antecellens. Volenti & liberè consentienti , nec in bonis fortunæ , quorum est Dominus : nec in bonis quorum est custos , fit injuria , proindè per se & formaliter loquendo nemo potest pati injustum volens: nihil tamen obstat , quò minus per accidens & materialiter volens patiatur injustum: ut si quis ignorans id fieri circa se , consentiat in id , quod sibi malum est.

### XXXIII.

**A**liquis facit *injustum* & *injustus* non est ait Phil. 5. Ethic. cap. 6. & 8. dùm nimirum non fit ex electione , nam cùm ex electione laeserit quispiam , tunc demùm *injustus* ac *pravus* est. Ut ergò homo sit & denominetur formaliter *injustus* , & formaliter actum *injustitiae* eliciat , requiritur , ut actus ex intentione seu electione procedat. *Injustitia* propriè dicta , uti *justitiae* opponitur , ita oppositam sibi vendicat definitionem , quâ dicitur : quòd sit *perpetua* & *constans voluntas* , quâ quis vult non tribuere unicuiq; *jus suum*.

### XXXIV.

**T**enore illius , quod tibi non vis fieri alteri nè feceris , judicia temeraria , id est definitivas firmasq; sententias continere debemus , neq; ante tempus judicare de proximo S. Aug. tract. 9. in Joan. Verum tamen et si judicium temerarium de malo proximi ex genere suo sit peccatum mortale , de facto tamen & in individuo formatum de aliquo peccato mortali non semper est mortale. Suspicio ex genere suo veniale duntaxat peccatum est , ita ut inter limites suspicionis manens nunquam culpa mortalis sit. *Quilibet est habendus bonus*

*bonus, donec probetur malus, proin dubia in meliorem partem sunt interpretanda, etiam positivè, ex suppositione, quòd in actum iudicandi exire quis velit.*

XXXV.

**D**ominium ut sic benè definitur, quòd sit *jus seu facultas propria utendire ad quemlibet usum lege permisum*. Subjectum Domini est sola creatura rationalis seu intellectualis. Homo est Dominus famæ suæ & honoris, membrorum autem & vitæ Dominus non est, sed custos. Domini Dei est terra & plenitudo ejus, perfectissimum habentis dominium omnium rerum, ab æterno quidem, quantum ad potestatem, à principio autem, quando creavit Deus cœlum & terram, quantum ad actum dominandi & gubernandi. Dominium in utroquè foro transfertur ad eum, qui legitimè præscripsit.

XXXVI.

**N**on remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum S. Aug. in Epist. 54. ad Macedon. ita quidem, ut restitutio rei alienæ simpliciter, & non tantum ad melius esse, saltem in voto sit ad salutem necessaria. Cum unicuique mandaverit Dominus, de proximo suo Eccles. 17. quando res restituenda apparet esse graviter nociva ei, cui restitutio est facienda, vel alteri, non ei debet tunc restitui. Debitor in extrema necessitate constitutus, potest se præferre creditori in æquali extrema necessitate constituto, hic & nunc non restituendo ei debitum.

XXXVII.

**R**eligio inter virtutes morales principatum tenens benè definitur, quòd sit *virtus debitum cultum tribuens Deo tanquam primo rerum omnium principio*. Actus ejus internus geminus est, sc. devotio & oratio. Devotio est voluntaria quædam promptitudo ad Dei cultum & famulatum. Oratio est boni cuiusdam petitio, quæ primariò ad Deum à piis directa funditur. *Dixi primariò*, nam & Sanctos licet colere & invocare, non tanquam bonorum, quæ peritus, collatores: sed tanquam nostros apud Deum intercessores. Habet pariter Religio plures actus externos, uti sunt, adoratio, sacrificium, oblatio, juramentum, votum &c.

### XXXVIII.

**D**isplicet Deo infidelis & stulta præmissio , proin ad votum tria requiruntur: deliberatio, propositum voluntatis, & præmissio. Solum propositum sine promissione non obligat. Præmissio facta cum vera intentione promittendi, sed non se obligandi , si vovens sciat obligationem esse inseparabilem à promissione , facit votum firmum & obligatorium. De natura voti est, quòd fiat de meliori bono , non quidem comparativè ad aliud bonum, sed in ordine ad suum oppositum. Licet votum propriissimè tale tantum sit de operibus consiliorum , nihilominus tamen etiam de actibus sub præcepto cadentibus emitti potest.

### XXXIX.

**S**i quæras, an est , & quid est , Incarnationis Dominicæ? Respondeatur cum S. Aug. lib. 13. de Trin. cap. 19. Cum lego , Verbum caro factum est . intelligo Verbum , Dei Filium in carne , agnoscō verum hominis Filium , & utrumquè simul in una persona Dei & hominis , ineffabili gratie largitate conjunctum . Hoc tamen Mysterium nisi fides credat, sermo non explicat, Leo papa ser. 9. de Nativ. nec ejus possibilitas ab intellectu creato ratione naturali concludi , aut evidenter cognosci potest. Ex suppositione Decreti , quo Deus humanum genus non nisi per condignam pro peccato satisfactionem in gratiam recipere statuit , non potuit genus humanum aliter redimi , nisi per incarnationem alicuius personæ divinae . S. Th. 3. ad Hanibal. q. 20. a. 3.

### XL.

**M**ultò plura quam debebamus Christus pro nobis soluit , tantoq; plura , quanto guttulam exiguum pelagus excedit immensum , S. Chrysost. hom. 10. idquè ex intrinseco & simpliciter infinito operum suorum valore , ex hypostatica naturæ humanæ ad Verbum divinum unione derivato. Verè necessarium fuit Adæ peccatum , ita ut ex vi præsentis ac primi decreti Verbum divinum non veniret in carne , nec venisset , si primus homo non peccasset , cùm in sacra scriptura ubiq; incarnationis ratio ex peccato primi hominis assignetur 3. p. q. 1. a. 3. Venisset tamen , si fuisset originale sine ullis actualibus.

### XLI.

**U**nihumilitas ibi sapientia , Proverb. 11. adeoquè decentissima est

est conjunctio sapientiae & humilitatis, & convenienter Filius naturam humanam assumpsit, & convenienter natura humana assumpta est. Assumpta est per se primò ad subsistentiam relativam Verbi, secundariò ad existentiam divinam. Præter naturam, quam Verbum divinum defacto assumpsit, potest aliam distinctam assumere, & plures personæ divinæ eandem assumere possunt. Quæcunq; natura creata à persona divina assumptibilis est, exceptâ materiâ primâ, nudatâ omni formâ.

#### XLI.

**E**x unione verbi divini convenit Christo totius gratiæ plenitudo, nec defuit gratia habitualis tribuens animæ ejus sanctitatem accidentalem, & actus supernaturales connaturaliter eliciendi facultatem. Virtutibus omnibus tam infusis (exceptis, quæ repugnant ejus statui & perfectioni, quatenus erat beatus, & homo Deus) quam acquisitis Christus fuit ornatus, has tamen propriis actibus non acquisivit, sed in primordio conceptionis per accidens per infusionem accepit. Sicut in capite sunt omnes sensus, ita in Christo ordinis supernaturalis fonte & centro, omnes gratiæ gratis datae, & septem dona Spiritus sancti.

#### XLII.

**V**ocamus Christum Magistrum & Dominum, est etenim, ut propter in quo est reconditus thesaurus triplicis scientiæ, beatæ, inditæ, & acquisitæ. Beatam & inditam habuit ab instanti conceptionis, tertiam propriis actibus paulatim, brevi licet tempore, acquisivit. Duas in Christo voluntates, divinæ scilicet & humanam cum 6. synodo generali act. 6. & 8. profitemur, voluntas humana Christi ex vi unionis hypostaticæ potens reprobare malum, & eligere bonum, est omnino impeccabilis. Debetur Christo cultus latræ & adoratio.

#### XLIII.

**S**eptenarium Sacramentorum numerum ut dogma fidei profitemur, & sunt, Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pænitentia, extrema Unctio, Ordo, & Matrimonium. Sacramentum in genere benè definitur, quod sit invisibilis gratiæ visibilis forma, vel quod sit signum sensibile rei sacræ sanctificantis nos. Accedit verbum, ut forma

forma ad Elementum , ut ad materiam & sit Sacrementum. O-  
mnis substancialis mutatio materiæ & formæ officit valori Sacra-  
mentorum. *Sacramenta legis gratia, virtute majora, utilitate meli-  
ora, actu faciliora, & numero sunt pauciora* Veteribus. S. Aug. lib.  
19. cont. faust. cap. 13. gratiam causant ex opere operato , non  
solum moraliter, sed & physicè , instrumentaliter tamen.

#### XLV.

**P**rincipium sanctissimorum mandatorum D. Dion. appellavit  
Baptismum, qui omnes originali peccato obligatos facit omni  
peccati vinculo liberatos. Baptismus est triplex, fluminis, flaminis,  
& sanguinis. Materia remota Baptismi fluminis est aqua naturalis,  
proxima est ablutio, forma, ego te baptizo in nomine Patris & Fi-  
lli & Spiritus sancti. Eidē subiecto semel verè baptizato denuò vali-  
dè conferri nequit. Confirmatio est verum novæ legis Sacra-  
mentum, ita ut visibili quidē unguento ungatur corpus, sancto tamen &  
vivifico Spiritu ungatur anima. Materia ejus remota est chrisma  
ex oleo & balsamo ab Episcopo benedictum. Proxima est unctione  
in fronte ab Episcopo in modum crucis facta.

#### XLVI.

**M**iraculorū officina præ cæteris legis novæ Sacrementis eminet  
Eucharistia. Materia ejus est panis triticus , & vinum de vi-  
te. Aqua calici consecrando infusa non convertitur immedietè in  
sanguinem Christi , sed prius in vinum & mediante vino in sanguine.  
Sacrficium Eucharistiae, quò ad essentiam & substantiam pro  
pluribus nominatim & æquè specialiter oblatum, singulis seu cui-  
libet, in particulari tantum prodest (juxta cuiuslibet tamen di-  
spositionem )ac si pro uno tantum offerretur. Unde limitatio effe-  
ctus ejus tantum fit ab extrinseco.

#### XLVII.

**A**d emendanda criminis vox pœnitentis sola non sufficit, sed opera  
queruntur. S. Aug. serm. 57. de temp. opera inquam pœnitentiæ , quæ virtutis, quæ Sacramenti , per quæ de peccatis post baptis-  
mum commissis veniæ locus conceditur. Sacramenti pœnitentiæ  
forma sunt verba Sacerdotis : *absolvo te.* Partes materiales essen-  
tiales , **contritio** , & **confessio**. **Satisfactio** est pars integralis. Ejus

Mini-

**Minister est solus Sacerdos**, qui non solum ut licet, sed etiam ut validè absolvat, præter potestatem ordinis, potestate jurisdictionis prædictus sit, necesse est. Pœnitens satisfactionem tolerabilem sibi injunctā acceptare tenetur.

### **XLVIII.**

**E**xrema unctionis Sacramento finem vita tanquam firmissimo quodam prædio Christus munivit, ait Concil. Trid. Cujus Sacramenti Christus est Author, S. Jacobus promulgator. Materia ejus remota est oleum olivarum ab Episcopo benedictum. Effectus ejus primarius est gratia peccatorum reliquias abstergens. Minister ejus est solus Sacerdos. Subjectum, homo baptizatus, adultus & infirmus. Ordo est signaculum quoddam Ecclesiæ, per quod spirituialis potestas traditur ordinato etc. Ordines sunt septem integrantes unum completum. Omnes characterem imprimunt.

### **XLIX.**

**C**um matrimonium in lege Evangelica per Christum gratiam praestet, merito inter nova legis Sacra menta est numerandum Trid. sess. 24. de matrim. cap. unico. Minister matrimonii, sive ut contractis, sive ut Sacramenti non est Sacerdos sed ipsimet contrahentes baptizati. Materia proxima est mutuus contrahentium consensus sub ratione traditionis. Forma, idem mutuus consensus sub ratione acceptationis. Matrimonii inter absentes baptizatos per procuratorem ritè celebratum, habet rationem verè & propriè dicti Sacramenti.

### **L.**

**M**atrimonium secundum suam propriam naturam, seu seclusa ratione Sacramenti spectatum, essentialiter, seu quidditative consistit in solo illo mutuo, ex mutuo contractu ac corporum traditione, orto vinculo, quo conjuges formaliter sunt uniti. Si teste Arist. 8. Eth. homo naturaliter magis est animal conjugale, quam politicum, insciandum non est, quin matrimonium sit homini naturale, si naturale sumatur pro eo, ad quod natura inclinat: sed mediante libero arbitrio completur. Sponsalia, quæ nuptiis præsertim solemniter celebrandis decenter præmittuntur, in contrahendo claudicare nequeunt.

### **F I N I S.**

